

## P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER TERTIVS

### ECHO AD VOCEM REDACTA

Liriope nympha ex amne Cephiso procreavit Narcissum illum superbum, cui Tiresias vates omnia prospera responso polliticus est, si pulchritudinis suae nullam habuisset notitiam. Hunc igitur cum diligeret septimum decimum annum agentem Echo nympha, neque ullam viam potiundi inveniret, cura ac desiderio iuvenis extabuit, quem extremis vocibus persequabatur fugientem, quod ei incidit Iunonis ira: quia garrulitate sua eam saepe esset morata, ne Iuppiter in montibus persequens nymphas manifesto deprehendi posset. Dicitur Echo se ob deformitatem recondidisse montibus, ne quid eius praeter vocem inspicere posset, quae tamen post eius obitum etiam nunc auditur ab omnibus.

Namque ter ad quīnōs ūnum Cēphīsius annum  
addiderat, poteratque puer iuvenisque vidērī :  
multī illum iuvenēs, multae cupiēre puellae.  
Sed (fuit in tenerā tam dūra superbia fōrmā)  
355 nūllī illum iuvenēs, nūllae tetigēre puellae.  
Aspicit hunc trepidōs agitantem in rētia cervōs  
vōcālis nymphē, quae nec reticēre loquentī  
nec prior ipsa loquī didicit, resonābilis Ēchō.  
Corpus adhūc Ēchō, nōn vōx erat, et tamen ūsum  
360 garrula nōn alium, quam nunc habet, ōris habēbat,  
reddere dē multīs ut verba novissima posset.  
Fēcerat hoc Iūnō, quia, cum dēprendere posset  
sub Iove saepe suō nymphās in monte iacentēs,  
illa deam longō prūdēns sermōne tenēbat,  
365 dum fugerent nymphae. Postquam hoc Sātūrnīa sēnsit :  
‘Hūius’, ait, ‘linguae, quā sum dēlūsa, potestās  
parva tibi dabitur vōcisque brevissimus ūsus’,  
rēque minās firmat. Tantum haec in fīne loquendī  
ingeminat vōcēs, audītaque verba reportat.  
370 Ergō ubi Narcissum per dēvia rūra vagantem  
vīdit et incaluit, sequitur vestīgia fūrtim.  
Quōque magis sequitur, flammā propiōre calēscit,  
nōn aliter quam cum summīs circumlita taedīs  
admōtās rapiunt vīvācia sulphura flammās.  
375 Ō quotiēns voluit blandīs accēdere dictīs  
et mollēs adhibēre precēs ! Nātūra repūgnat,  
nec sinit, incipiat, sed, quod sinit, illa parāta est  
expectāre sonōs, ad quōs sua verba remittat.  
Forte puer comitum sēductus ab agmine fīdō  
380 dīxerat : ‘Ecquis adest ?’ et : ‘Adest’, responderat Ēchō.  
Hic stupet, utque aciem partēs dīmittit in omnēs,  
vōce : ‘Venī !’ magnā clāmat : vocat illa vocantem.  
Respicit, et rūsus nūllō veniente : ‘Quid’, inquit,  
‘mē fugis ?’ et totidem, quot dīxit, verba recēpit.  
385 Perstat, et alternae dēceptus imāgine vōcis :  
‘Hūc coeāmus’, ait, nūllīque libentius umquam

respōnsūra sonō ‘Coeāmus’ rettulit Ēchō,  
et verbīs favet ipsa suīs, ēgressaque silvā  
ībat, ut iniceret spērātō braccia collō.

390 Ille fugit, fugiēnsque : ‘Manūs complexibus aufer ;  
ante’, ait, ‘ēmoriar, quam sit tibi cōpia nostrī’ ;  
rettulit illa nihil nisi : ‘Sit tibi cōpia nostrī !’

Sprēta latet silvīs, pudibundaque frondibus ōra  
prōtegit, et sōlīs ex illō vīvit in antrīs.

395 Sed tamen haeret amor, crēscitque dolōre repulsae.

Attenuant vigilēs corpus miserābile cūrae,  
addūcitque cutem maciēs, et in āera sūcus  
corporis omnis abit ; vōx tantum atque ossa supersunt :  
vōx manet, ossa ferunt lapidis traxisse figuram.

400 Inde latet silvīs, nūllōque in monte vidētur,  
omnibus audītur : sonus est, quī vīvit in illā.